SUPREMI HONORES (XI.)

Quibus

Principis sui Pii, Probi, Perbenefici, Literati, Gnavi, Fortis, Inclyti, sed nunc demùm Felicis atq; Fortunati,

DN. FRIDERICI SENIORIS, DUCIS SAXONIÆ, JULIÆ, CLIVIÆ, MONTIUMq; &c. LIN. VINARIENSIS,

Funus, turbato (heu!) mortalitatis ordine, in exequiis Jenensibus & Vinariensibus VII. & IIX. Novembris, anni funesti M. DC. XXII. mœstus & infelix comitabatur,

FRIDERICUS HORTLEDERUS,
Ipsius Cels. olim à studiis Academicis,

Jampridem à consiliis aulicis.

LONGÈ AUCTIORES RECUSI TYPIS
JENENSIBUS *Johan. Beithmanni,*
ANNO M. DC. XXIII.

ÆNEAS,
In funere Pallantis
apud Maronem XI.
Æneidos.

——— Hei mihi, quantum
Præsidium Ausonia, & quantum tu perdis, Jule!

HONOR I.

SIVE:

Ad principem, ruptâ per hostes viâ fortiter feliciterq; transeuntem, acclamatio.

INclyta Germanæ, patre digna Thuiscone, proles,
Infima nec generis gloria Saxonici,
Portio Wymaricæ tendentis ad æthera rutæ;
FRIDRICUS, *Janò de genitore satus,*
Marte Brabantiacæ fulturus mœnia Bergæ.
Hoste iter abs Heduo postulat: Iste negat.
Sed nihil ille minùs transit, Virtute, Fideq́ȝ,
Et transit summi culmina ad usqȝ poli.
Macte animo princeps! Virtuteqȝ macte! Fideq́ȝ!
IN CŒLO PATRIAM QUI BENÈ TRANSIT, HABET.

HONOR II.

SIVE

Obitûs deploratio.

Ad Flerjam, flendus lachrymarum flumine princeps,
Occidit heu! Verè hunc, Hunc *fleo*, & ex animo.
Ad Flerjam, flendus lachrymarũ flumine princeps,
Occidit heu! Christi hũc *fles* (scio) clausa domus.

Ad Flerjam flendus lachrymarum flumine princeps,
Occidit heu! Trepida, hunc libera *flet* patria.
Ad Flerjam flendus lachrymarum flumine princeps,
Occidit: Hunc *flemus*, ſubdita gens miſera.
Ad Flerjam flendus lachrymarum flumine princeps,
Occidit: Hunc *fletis*, Gratiæ & Hiſtoria.
Ad Flerjam flendus lachrymarum flumine princeps,
Occidit: Hunc jam *flent*, Livor & Invidia.

HONOR III.

SIVE:

Urnæ ſtanneæ inſcriptio.

FRIDERICUS SENIOR DUX
SAXONIÆ, JUL. CL. Mõ. &c.
PRINCEPS
AD TOGAM QUOD ATTINET;
Ad probitatem ac beneficentiam, non doctus, ſed factus:
AD SAGUM; Veterū nulli virtute ſecundus:
MOVENS UNA IN
BELGIUM:
Cum in via ferrô per Brabantiam aperiendâ, conflictu Flerüenſi quinque vulneribus honeſtis,

ſtis, ab hoſtis agmine equeſtri ac pedeſtri, (quæ fuderat,) reverſus, & pilento impoſitus, ter commendatâ Deo animâ, Fatô gloriosô, fortiter, feliciterq; functus eſſet, Cal. Sept. die XIV. * anni decurrentis *M. DC. XXII.*

** Sive. Aug. die 19.*

*IN TERRAM PATRIAM RELATUS.**

** Liebſtetum arcem Baliv. Thur. Octob. die 15.*

Quicquid caduci habuit, ſarcophago huic inferri, & ad juſta uſque ſolennia, in hanc ædem * oppidi Jenenſis, deponi fecit:

** Baſilicam. Mich. Arch. ſacram. Octob. die 21.*

POSTEAQUAM;

Ipſis Cal. Mart. * ingredientibus, Altenburgi genitus,

** An. 1596. auditâ noctis 12.*

Haut ita pridem, VI. & XX. annos * vitæ explevisset:

** Menſ. 5. Hebd. 2. Dies 4. Hor. ad 8.*

Binos, & quod excurrit, militiæ.

BOHEMICÆ, ANNO M. DC. XX.

PALATINÆ, ANNO M. DC. XXI. M. DC. XXII.

BELGICÆ, EODEM ANNO M. DC: XXII.

HONOR IV.

SIVE:

Epigraphe monetæ funebris.

In cujus facie prima:

FRIDERICVS SENIOR DVX SAX. JVL. CLIV. MONT. LIN. VIN.

In medio, faciei alterius:

NATVS I. MART. AN. M. D. XCVI.
TRANSIT PER MEDIOS HOSTES AD CVLMINA COELI,
XIX. AVG. AN. M. DC. XXII.

In orbe circulari ejusdem:

IN COELO PATRIAM, QVI BENE TRANSIT, HABET.

HONOR V.

SIVE:

Epicedium lugubre. Deque Epitaphio principis deliberatio.

C*Esserat ut Fato* FRIDERICUS *nominis hujus*
PRIMUS, *Romulei qui caput orbis erat,*

[1] *Fi-*

---

(1) *Haut scio, an alius. Autor est quidem certè, Spangenbergius, cujus & hæc interpretatio rythmica:*
Wenn Frömmigkeit/ Witz/ Geld vnd Gold /
Vnd gros Geschlecht eim helffen solt /
Wider deß Todt/ so wer fürwar
Keyser Friedrich die Stund noch dar.

Filius (1) *insigni* FRIDERICUS *marmore luctum*
Dicitur his verbis explicuisse suum:
Si probitas, sensus, numismaque, copia census,
Nobilitas orti, possent obsistere morti;
Non erat extinctus FRIDERICUS, qui jacet intus.
Cesserat ùt Fato FRIDERICUS, *sorte* SECUNDUS,
Qui pariter Latii rex erat, atq; pater,
Petrus (2) *vitiferis cognomine, fertur, ab arvis,*
Pectoris hæc mœsti signa dedisse sui:
Si probitas, (3) sensus, virtutes, gloria, census,
Nobilitas orti, possent resistere morti,
Nō foret extinctus FRIDERICUS, qui jacet intùs.
Cesserat ùt Fato FRIDERICUS, FORTIS *in armis*
Vindicibus, Mysi, Tyrigetiq; soli,
Bertoldus (4) *tali signabat carmine saxum,*
Urbs ubi, de ferri nomine nomen habet:

Ec-

---

(2) *Petrum de Vineis, Imp. Friderici 2. Cancellarium, Felix Malleolus sive Hemmerlinus IC. & Canonicus Thuricensis, scriptor cæteroquin bonus & antiquus, autorem facit. Quæ res dubio non caret, Si modò rerum dominô Fridericô adhùc in vivis constitutô, miserrimus Petrus, frontem posti illisit, cerebroq; sparsô, oculos per vulnus vomuit. Contra: presbyterum quendam Aretinum, annalium Suevicorum conditor; Mart. Crusius. Quæ res, fundô aliô.*

(3) *Ad hunc omninò modum referuntur à Felice prædictô. Quem hac in parte Pandulfo Colonutio sin minùs anteferendum, æquandum tamen: Cuspiniano autem, Crusio; Fabricio, Peucero, Cisnero, Octavio de Strada, recentioribus, etiam præponendum judicò. Quin & illud ex Italia monumentis Laur. Schraderi addo: Iisdem planè versiculis, (nisi quod pro:* Virtutes, Gloria: Virtutum Gratia: *reponitur,) ornatos quoq; Pisis Henrici 7. Imp. cineres. Eâ erant olim celebritate, & admirandâ apud omnes gratiâ.*

(4) *Statuarius. Cui lapis ipse hoc testimonium dicit:* Meüster Bertold machte mich vor Isenach.

(5) *Sic*

Ecce FRIDERICUS, virtutis [5] alumnus, amicus
Pacis, conditur hîc: Stirps Imperialis: Et illîc
Fulgeat iste pius Marchio Lantgravius. [6]
Cesserat utq; etiam Fato FRIDERICUS *acerbo*, [7]
Lantgravius, TENUIS *corpore*, *mente* GRAVIS,
Cæsareis sibi de tumulis [8] *pars subdita sumit*,
Pars creat, his cædat [9] *quæ metra prisca modis:*
Si probitas, [10] sensus, si virtus, gloria, census,
Nobilitas orti, possent resistere morti,
Nō foret extinctus FRIDERICUS qui jacet intùs,
Anno milleno, ter CCC. quadragesimo nono.
Quem locat in terras hîc, XIV. Calendas
Mensis X.bris, ter sena diesvè IX.bris. *Ces-*

---

(5) *Sic habet ipse monumenti lapis, egregium priscæ magnificentiæ exemplum: Quod olim sua Fata Isenacô Gotham, Inde rursus ann. 1613. ad Reinhardi fontem sacrum transtulerunt, ubi etiamnum conspicitur. Cedat igitur oportet; quicquid apud Melanchtonem, Peucerum, Peckensteinium subrepsit, verbis monumenti hujus minùs consentaneum. Ad quæ respexit etiam, qui scripsit Georg. Fabricius:* Fridericum Admorsum Isenaci sepultum, elogiò nobilitatis & virtutis multifariam ornatum.

(6) *Quin & hoc Bertoldus apponit: ANNO. DOMINI. MILLESIMO. TRECENTESIMO. VIGESIMO. QV.M.R.TO. XVI. KM. L'SEDMS: Notis, postremâ sui parte, vel Platonicis numeris, obscurioribus. Sed mè tamen judice, penitiùs intuenti, non alium, nisi annum M. CCC. XXIV. Xq; VI. KL. MES. DeceMbriS, significantibus. Ignotos omnibus propemodùm annalibus, inter sese hic mirificè variantibus.*

(7) Immaturô. *Cujus causa, vulnera: Arnstadiensia, Pegaviensia.*

(8) FRIDERICORVM *I. & II. Quorū hoc, benè observat Georgius Fabricius, cætera partim falsus, partim historicô non satis dignâ excusatione usus, Inquiens*: Sepulchro iidem versus, annorum *tantum* numerò mutato inscripti legebantur, qui sepulchro Friderici 2. Imp. legi perhibentur. Qui *quoniam huc non pertinent & à Cuspiniano positi sunt*, eos prætermitto. *Non frustra tamen inscriptos existimo. Sic (inquam) Fabricius.*

(9) *Incisa enim erant lapidi sepulchri, hæc carmina. Id quod me docuit inscriptio in iis collectaneis historicis viri optimi ac diligentissimi quondam, Georgii Spalatini, e, usq; nepotis Dn. Georgii Chiliani archiatri Vinariensis Saxonici, ex quibus ista deprompta sunt. Nimirum:* In circumferentia lapidis Mausolei Dn, FRIDERICI.

(10) *Hæc princeps meus cujus nunc exuvias veneror, cum legendis Fabriciorum originibus Saxonicis, in an-*

Cesserat ùt tandem FRIDERICUS, *sceptra parentis*
STRENUUS *ingeniô, qui tulit, atq; manu,*
It mœstus clerus, populusq́; It mobile vulgus,
Mirificô ob dominum fletq́; doletq́; (11) *modô:*

Hye lyt ein Fürste lôbelich/
Quem vulgus flebile plangit, (12)
Von Mîsne Marcgrav Friderich/
Cujus insignia pangit.
Clerus, claustralis, laicus,
Den Fürsten leidlichen klagen/
Dives, inops, altus, infimus,
Fürstliche Werck von jhm sagen.
Warhafft/ Wise/ Tugentlich/
Affabilis atque benignus,
In Gotisfurchte stätiglich/
Fuit hic laudarier dignus.

B Da

antiquam majorum virtutem animumq́; virilem sese acueret, ùt erat historiarum & antiquitatum amantissimus, manu suâ, codici Fabriciano suo, inscribebat. Fati ignarus, sortisque futuræ.

(11) *Appensus fuit tumulo Veterocellensi hic modus: Ipsô sepulchri lapide (iisdem Spalatini collectaneis testantibus) sic circumscripto:* Annò Domini Mo. CCCo. LXXX. VII.KL.Iunii.obiit.mitissimus.princeps.Fridericus.Thuringie.Lantgravius.Misnensis.&.Orientalis.Marchio.dnsq;.terre.Plisnensis. Orate. pro. eo. *Vbi tamen pro anno 80 (quem vulgò ponunt,) annum 81. substituendum esse, alius loci est, ex literis supremam, (quoad filios) Strenui voluntatem testantibus, ostendere.*

(12) *Ex Mechtildis Bavaræ, Ludovici 4. Imp. filiæ, uxoris Friderici Gravis, Lantgravii Thuringiæ, monumento Veterocellensi, hac verba mutuata videntur. Ejus enim hic extremus tenor:*

Heu quam nunc angit! quam vulgus flebile plangit!
Mechtild ingenuam fac oro, Christe, beatam.

(13) Ni-

Da veniam Christe,
Las vns Genaden erfinden/
Annue quod iste,
Los werd von sinen Sünden.

Quod si igitur dominos quondã hâc: Jã qua ratione
Te plorem dominum, DUX FRIDERICE *meum?*
Altera cum patriæ, miseræ spes, præsidiumque,
Stirpis honor, Martis gloria, Pacis amor,
Pars animæ FRATRIS, *duq́; æthere pastus, Achates,*
Dives præsentis præteritiq́; penus,
Impiger, extremos vel si res tendat ad Indos,
Abrepetis patrium, post tua Fata, solum!
Tantus & est nostris dolor & ploratus in oris,
Quà, Unster & Ilmus aquis, Sala & Hiera, ruũt,
Quantus, cum sancta Ludovicus sanctus Elissæ,
Osseus,(13) *(ô carum os antè,) rediret, erat.*
Cumq́; Beatricem, simul & confixus ad Ulmam,
Thuringam Henricus rex(14) *viduaret humum:*
Quan-

(13) *Nihil enim ejus, nisi ossa albentia ex Sicilia reducta. Quò digitum intendens frater Ludovici Henricus Lantgravius Thuringiæ:* Cum in humacione (*inquit*) ossium fratris nostri Ludovici Lantgravii, qui in procinctu crucis occubuit: *Literis ipso exequiarum die in Reinhersburnen, anno 1228. datis, &c. Ubi monumentũ Sancti adhùc asservatur, cùm hujusmodi honore tumuli:* Anno. domini. M.CC.XXVII.III.yd'. Septembris o. Ludevvic'. Thuringor. Lantgravi'. beate Elizabet marit'. in. Sicilia. in civitate. Ortrant. (*Italis, Otranto est*) & hic sepuitus. *At Sanctæ, Marpurgi; cum istiusmodi:*
Hic jacet Elizabeth; Si benè fecit, habet.
Benè verò fecit. Dispersit. (*enim*) Dedit. Paup. Iust. ejus manet in secul. seculi: *Ut est in aureo insigni nummô Oelhafianò, &c. principis antiquæ & historicæ gazæ ditissimi, Dn. Ernesti ducis Saxoniæ I.C. Mq, Dn. M. CL: In digniore parte circum effigiem, sic notatò:* Elisabeta. filia. Andr. Reg. Vngar. obiit Marb. an. M. CC. XXXI.

(14) *Fulmine Papali percussò Imp. Fridericò 2. cum Henricus Thuringus nondum Imperii sceptrum susce-*

Quantus item sanctas cum mactaretur ad aras
Ditzmannus,[15] *Mysi cor clypeusq; soli,*
FRIDRICUS *verò caderet,*[16] *spes prima parentis*
Admorsi, ad castrum, Zvvencka inhonora, tuū:
Quantus erat tandem, Phrysiâ cū sorte[17] *peremtus*
Albertus, patriis adveheretur agris,
Ensifer aut heros Mauritius, Inclyta bellô
Fulmina, Saxonicum nomina magna ducum.
O si Mœonidis liceat tua funera versu,
Divini aut vatis plangere Virgilii!
Sed quia nec tenuis FRIDRICIS *spreta Thalia,*
Ducit & ætatem non minùs illa suam,
Simpliciore modo, monimenta ad prisca parentū,[18]
Formatos numeros, hos cape quæso meos:

 CUM

suscepisset: Nos Heinricus D.G. *(inquiebat)* Lantgravius Thuringiæ, comes Palatinus Saxoniæ, & sacri Imperii per Germaniam procurator: *Literis in castro VVartpergk valli S. Georgii anno 1242. datis. Postea verò Beatrix, uxor altera, sed omni ferè historiæ ignota;* Beatrix D.G. *(dicebat)* quondam Romanorum regina semper Augusta, notum facimus, quod dns. noster Heinricus Romanorum rex serenissimus, cum in expeditionem procederet versus Vlmam, abbati S. Georgii vallis restituerit sylvam Friewald / &c. *An. 1250. 9. Kal. Apr. Imò, gener ipse Imperatorius,* Albertus Senior *Lantgravius, (nam &* Iunior Albertus *erat; Corruptò, sed tum admodùm usitatô idiomate* Apetz *dictus, ex quo sibi scriptores finxerunt, nescio quem* Apitium:*) eodem titulô Henricum dignari non dubitabat, literis Reineri fonti datis, VVartpergi, 12. Cal. Sept. An. 1282.*

(15) *Sic, ut cum vulgo loquar. Ipse enim se ubiq;,* Theodoricum Iuniorem *vocat, & proximo ante interitum annô, (qui 1306. fuit,)* Lantgravium Thuringiæ, Marchionem Orientalem, & dominum in Groitz.

(16) *13. Ian. an. 1315. si qua fides annalibus. Et certè Admorsus parens non nisi unius filii FRIDERICI meminit an. 1316. & 21. In literis monasteriorum: Ienensis ad S. Michaëlem Arch. Et vallis Georgianæ.*

(17) *Sed, quæ tandem illa? Scriptores enim vel mussant, vel hæsitant. Verùm intelligenti rem non obscurè explicant, Misnensium Mausoleorum versiculi:*

Dum vult supremo duri certamine Martis
Sors dare me pessum: Sustulit ad superos:

Quibus Sors talis innuitur, quæ licet ipso in certamine heroem pessundare non posset, tamen eum paulò post febre ad globi tormentarii ictum accedente, sustulerit.

(18) *Fridericus enim I. Imperator procreavit Imp. Henricum 6. Sextus, Fridericum 2. Secundus,* *Mar-*

CUM Pietas mentis, Christū, solamē [19] habētis,
Sūma animi Probitas: [20] Larga manꝰ Bonitas:
Ac Virtus duris, [21] similis sibi, cognita in armis,
Parta domi præstans Gloria, parta foris,
Næ, validas Mortis valeant excindere portas,
Servare insignes Nobilitate viros;
Non erit extinctus FRIDERICUS SAXO BENIGNUS [22]
Qui Sensu, atq; isto Censu, opulentus erat.

QUIS

Margaretham filiam. Qua Alberto Lantgravio Thuringiæ nuptum data; Henricô patre Illustri, *sed non cognomentô, verùm titulô, hu verbu anno 1256. contestante:*
Cum per gloriosissimum Dn. nostrum Fridericum Imp. &c. ratione sponsalicii filie sue Margarete, filio nostro Alberto desponsate adepti simus dominium Plisenensis tere &c.
genuit Imperialem stirpem *Fridericum Fortem seu Admorsum. Hic verò Gravem, Gravis Strenuum. Strenuus, Bellicosum primum Saxonem Septemvirum. A quo deinceps omnes Saxones, & hos inter, princeps quoq; meus, concatenata serie descendunt.*

(19) *Habuit id princeps meus, cui moribundo contingebat id, quod sibi S. Dionysius optabat. Scilicet,* ut ultimum verbum Christi in cruce, esset ultimum verbum ejus in hac luce, *& non semel quidem, sed impellente precum Spiritu, ter repetitum. Itaq; quod de Wilhelmo 2. Lantgravio Thuringiæ, Saxonum primi fratre, ait, suspensa Altenburgi, in collegiato arcis templo Georgianô, fundatoris tabula, id non minus verè dicitur, de meo principe:*

Hic dum in portis fore sensit pabula mortis,
Corpore & mente erexit, seque repente
Regi suo Christo commendans seque ab isto
Mundo transivit, cœloque se jungi petivit.
DVX secura FIDES, quæ credit, sperat, amatque.
His tribus vestitus est Spiritus & redimitus
Principis VVilhelmi, scandens ad culmina cœli.

(20) *Virtus ab antiquo Misniæ Marchionibus familiaris. Unde in generali eorum epitaphio Veterocellensi:*

His nam principibus, Probitas nimis est preciosa,
Nec non Fama bona, eis est, quasi digna corona.

(21) *Iterùm hic notanda generalis epitaphii Veterocellensis verba:*

Virtuti dant illi suum constanter honorem,
Præ aliis ideò adepti laudis honorem.

(22) *Hoc eulogio principem meum jamdudùm decoratum dedisse memini, ob naturalem, quam non*

cum

QUIS jacet hîc igitur vitali lumine cassus?
Mors jacet, exuviis non nisi pasta, ducis.
O jaceat! Vivat contrà hîc, FRIDERICUS, & axe
Phœbeæ laudes terminet Historiæ.
Illîc sed niveo (23) vestitus pectora amictu,
Fulguris auricomô clarior igne, micet,
Syrtes (24) post varias, Libycas post Martis arenas,
Almâ (25) compostus sede, quiete fruens.

Hos cape dux (inquã) mihi maxime Saxo, FRIDRICE,
Ac patriæ molli membra reconde sinu.
Nec piger ad sonitũ tuba quẽ dabit extima Christi,
Æternùm salve, Perpetuumq; vale.
At tu, qui insanos potis es compescere fluctûs,
Et nimbos frenas, carcere & imperio,

 Tu,

eum Tito ac Trajano modò, sed etiam cum FRIDERICIS *Impp: & ex veterib. abavis paternis, cum* FRIDERICO STRENUO, *Lantgravio Thuringiæ communem habebat, bonitatem ac beneficentiam. Necdum facti piget, pœnitetvè.*

(23) *Alius sibi alium, vel ex mediis antiquitatis Romanæ penetralibus: Ego verò, vestitûs hujus non alium mihi interpretem optarim, autore libri obsignati, cujus verba Apocal. 7. vers. 13. cuivis desideranti obvia.*

(24) *Bello civili Romano inter Cæsarem & Pompeium, fusô casôq; Pompeiô,*

Abstulit Emathiæ secum fragmenta ruinæ
Actus per Syrtes, CATO, per Libycas & arenas.

Cujus hac in parte consilium & infractus pro Repub. animus, præcone non eget, post Senecam & Lucanum. Ciceronem enim polypum lubens silentiô prætereo.

(25) *Ut Antenor. Qui,*

Postquam res Asiæ Priamique evertere gentem
Est visum superis, mediis elapsus Achivis,
———— ———— Vrbem Patavi sedesque locavit.
Atque ibi nunc placidâ compostus pace, quiescit.

Tu, bonus ô felixq́ tuis, tumida æquora mulce,
Daq́ serenatô Sole redire diem.
Sic ô sic solvent grata in præconia linguas,
Qui te, Qui fidei simplicitate, colunt.

HONOR VI.

SIVE:

Proritante RHENÔ, conscriptum ILMI studiô Epitaphium. Et quis locus, Fati providentiâ, in majorum monumentis Vinariensibus, principis monumento, reservatus.

NUper ùt ê gelidis lacerum caput extulit undis,
Tempora post aliquot regni fragmenta revisens,
Intrabat veterem Nemetū, quam prænatat, urbem,
RHENUS, *& antiquis curamq́ animumq́ levabat,*
Pertæsus nimiùm, famæq́, reiq́, recentis.

Ergò ubi virgineæ templum venerabile matris
Surgit, magnorum scrutatur marmora Regum,
Viles

Viles præteriens animas, & lapsus in ipsos
Cunradi augusti cineres, ùt vidit, eundem* * Salici, sive 2
Cũ tribus Henricis, tantùm uno carmine clausum* * 3. 4. 5.
Atq; unô, tantâ genitrices prole beatas,
Funeris exiguum officium miratur, & hæret
Nescius expleri mentemq́; oculosq́;, tuendô
Nunc opus antiquâ fabrefactum Palladis arte,
Nunc Pariô vivos ductos de marmore vultûs,
Nunc scripti antiquas, ænigmata cœca, figuras,
Nunc numeri articulos, sparsim per saxa vagantes,
Nunc numeros ipsos, rythmô, de more, respersos;
Hæc secum volvens, secum hæc sine fine revolvens :
Filius hîc:(1) Pater hîc: Avus hîc: Proavus jacet
Hîc proavi cõjunx: Hîc Henrici senioris. *(isthîc:*

Ilmus *cornigeri, quem sic, vetus accola saxi,*(2)
Cognate, affatur: Tantum ô si talia possunt
Ut valeant animô mœstam detergere nubem
Quæ cor nunc coquit & comedit, sub pectore fixa,
Non

---

(1) Filius hîc: *Imperator Henricus* 5. Pater hîc : *Imp. Henricus* 4. Auus hîc : *Imp. Henricus niger sive* 3. Proavus jacet isthîc : *Imp. Conradus* 2. *sive Salicus.* Hîc Proavi conjunx : *Gisela Imperatrix:* Hîc Henrici senioris *sive quarti: Bertha augusta. Autoribus atq; interpretibus, Georgio Sabino, Spangenbergio, Octavio de Strada.*

(2) Des Hornsteins. *Quo nomine latomiæ, & alii cũ Ilmum, arci exadversùm siti colles appellari feruntur. Nec desunt, qui arcem ipsam ita olim dictam putent. Id quod de hodiernâ, in valle extructâ arce, mihi non persuaserim. Citiùs de eâ, quæ in illis ipsis collibus nomen* der Altenburgk/ *reliquit. Prætereaq; nihil.*

(3) Ioh.

Non genus id, Non (crede mihi) recreamina desunt,
Deficiant quamvis genus id monimenta vetusta.

Ecce etenim postquam, mea magna ac vera volu-
FRIDRICUS *cecidit civili vulnere princeps,* *(ptas,*
Saltem quà Boream monimenta ducalia spectant,
(Ut tamẽ Agnetem,(3) *genus Hessi sanguinis, addã:)*
Filius(4) hîc: Avus hîc: Pater hîc: Genitrix jacet
Hîc abavi conjũx, Hîc Henrici senioris, (*isthîc.*
Hîc abavi, dicti Constantis, filia Jani,
Tres (en!) Margritæ, solioq;, soloq;, potitæ.
Quas inter medius stat Saxo, GEMMA, Fridricus.

HO-

---

(3) *Ioh. Friderici Medii, vel 2. uxorem primam. Mauritii electoris viduam.*

(4) Filius hic: *FRIDERICUS, princeps, meus.* Avus hîc: *Iohan. Wilhelmus dux.* Pater hîc: *Iohannes dux.* Genitrix jacet isthic: *Dorothea Maria Princeps Anhaltina.*

Hic abavi conjunx: *altera. MARGARETA princeps Anhaltina.* Hîc Henrici Senioris, *(Respectu ad Henricum juniorem ducem Brunsuicensem habitô,) Lüneburgici conjunx, MARGARETA: Ernesti Saxonis electoris filia: Soror Friderici Sapientis & Iohannis Constantis Saxonum electorum: Quæ, maritô ob Cæsaream proscriptionem in Gallias profugô, in fratrum clientelam reversa videtur.*

Hic abavi, dicti Constantis, filia Iani: *Virgo MARGARIS pulcherrima.*

MARGARIS Idaliis æmula Nympha choris:

Ut alterius ex illis geminis epitaphiis, verbis utar, quorum unum orichalco infusum, publici vicem obit, autoremq; Thuringorum vatem habet,

Stigelium vatem. Quò dulcia plectra movente,
Obstupuit posita, Delius ipse, lyra:

Quæ epitaphii Stigeliani verba sunt, in basilicâ hujus oppidi à Lyceo Salano clarissimi.

Et has inter *MARGARITAS,* medius stat Saxo GEMMA Fridericus. *Quippe, cui hæc, (si conditionem loci aræ non ita propinqui spectes,) ad lævam prima est & proxima. Isthæc, remotior & altera. Illa, ad dextram, unica & suprema.*

HONOR VII.

SIVE:

Cur reſervatus locus, paternis & avitis monumentis ſuperior?

EXpaßis foribus ſacræ bipatentibus aræ, (rum
Tertia quam quondam pictorum Teutonico-*
Gloria, depictam Lucas dedit, (ùt reor) (1) *alter,*
Præcedit JOÂNNES FRIDERICUS *vulnere pulchrô,*
*Quod * pius eſt paſſus, recti ſibi conſcius, heros,*
Pugnando ob patriam Libertatemq́;, Fidemq́;.

Hunc igitur cum ſit, pulchrâ per vulnera morte,
FRIDRICUS *pronepos, per tela, viroſq́; ſecutus;*
Quid mirum, ſi nunc proavi hic veſtigia calcat,
*Implicitus manibus, germanæ, * conjugis, atque*
*Prognatæ, Quondam patruus quas maximus, * &*
Hùc abavus, comites ſero misêre nepoti,* (quas
Ut meritis qui ſupra & avum, ſupra atq; parentẽ
Jſſet, tantorum lætoſq; hilareſq; laborum,
Jungeret hoſpitiô dextram, ſociuſq; ſubiret
Magnanimi herois, Conſtantis, item Sapientis,

* *Pſima enim Alb. Dürerus: Altera Lucas Senior Cranachiis putatur.*

* *Sic propemodùm P. Eberus Theol. Witeb. Suppoſitu imagini a Lucà ſeniore ſculpta, verſiculu, An. 1550*

* *Trium iſtarum Margaritarum.*

* *Frider. 3. & Iohan. electores.*

* *Witebergà, ubi conditi quieſcunt.*

C *Ar-*

(1) *Docet enim Stigeliana ſubſcriptio, non ante an. 1554. hanc aram pictam. At ante, Lucas I. deceſſerat. Ita enim lapis cæmiterii Vinarienſis:* Anno Chriſti 1553. Octob. 16. piè obiit Lucas Cranach I. pictor celeberrimus & conſul VViteberg. Qui ob virutem, tribus Saxoniæ electoribus diu fuit cariſſimus. Aetatis ſuæ LXXXI.

HONOR VIII.

SIVE:

Coronis, omnia quæ extant FRIDERICORUM Saxonum epitaphia continens. Et

Misnense. ### *I.* Electoris* FRIDERICI I.

ANNO Dni M.CCCC.XXVIII. Dnica pxia post. circumcisiois. obiit. illustr. pnceps. &. dns. dns Fridericus. dux. Saxoie. Sac. Ro. Imper. archimarschall. (1) Thur. Landgravius. Marchio. Missenens. hi. (2) sepultus. cujus. anima. requiescat. in. pace.

Misnense. ### *II.** FRIDERICI, *F. Electoris Friderici II.*

INCendiô obfuscatum obliteratumq; periit. (3)

Misnense. ### *III.* Electoris* FRIDERICI II.

ANNO Dni. 1464. feria sexta, in nocte Nativitatis Marie virginis gloriosissime, obiit illustris princeps, & dns. dns. Fridericus dux Saxonie. S. Rom. Imperii Archimarschallus & princeps elector, Lantgravius Thuringie & Marchio Misnensis. Cujus anima requiescat in pace.

IV. Fri-

(1) *Cur non:* Et princeps Elector? *Quia nondum, in titulis, inoleverat verbum novum; Non, nisi cum dissidiis de eligendi jure natum. Cur non sub finem:* Burgkgravius Magdeburgensis? *Quia nec id, ante litem an. 1538. motam, publicè, ab his Sax usurpatum.*

(2) *Hac notent, qui alibi sepultum volunt: Invitò P. Albinò. Cui Clamorinus frustra se opponit.*

(3) *Teste Barth. Clamorinò. In collectaneis Spalatini tamen hanc reliquit sui memoriam:* In demselbigen hohen Grab leit begraben der Hochgeborne Fürst Herr Friederich Hertzog zu Sachsen/Erstgeborner Sohn des Hochgebornen Fürsten/Herrn Friederichs des andern/ Hertzogs zu Sachsen/etc. Und ist verschieden im Jahr 1451. Montags nach *Thomæ Apostoli.*

IV. * FRIDERICI, F. Alberti. *Misnense.*

NACH Christi Geburt 1510. Jahr/des 13. Tags des Monats Decembris ist zu Rochlitz mit Tode verscheiden der Hochwürdige/ Durchleuchtige/ vnd Hochgeborne Fürst vnd Herr/ Herr Friederich/deutsches Ordens Hochmeister / Coadjutor der Ertzbischoflichen Kirchen zu Magdeburg/ Hertzog zu Sachsen/ Landgrav in Düringen/ Margkgrav zu Meissen. Des Seele Gott gnädig vnd barmhertzig sey.

V.* Electoris FRIDERICI III. *Wittebergense.*

HÆC quicunq; vides oculô propante, viator,
Ad sacra, ne pigeat, sistere busta pedem.
Ille ego FRIDRICUS, duce quô Saxonia felix,
Ardua sacratum tollit ad astra caput.
Qui, quamvis tota arderet Germania bellis,
Effeci pacem gentibus esse meis.
At seniô tandem longis confectus ab annis,
Hîc tegor, exiguô conditus in tumulô.
Virtutum laudes & famam, longa, mearum
Posteritas semper, sit modò grata, feret.

Decessit anno Christi M.D.XXV. die V. Maij. Vixit annos LXII. Menses III. Dies XIX. Horas ferè IV.

VI. * FRIDERICI, F. Georgii. *Misnense.*

NACH Christi vnsers lieben HERRN Geburt 1539. Jahr/ Mitwoch nach Invocavit, do starb der Durchlaucht vñ Hochgeborne Fürst/ vnd Herr/ Herr Friederich Hertzog zu Sachsen/ Lantgraff in Düringen / Margkgraf zu Meissen. Dem Gott gnädig sey.

VII. Vi-

Vinarienſe.

VII.* FRIDERICI, F. Joh. Frid. II.

VON Gottes Gnaden / Friedrich Hertzog zu Sachſen/Lantgraff in Düringen/ Margkgrav zu Meiſſen / Iſt in Gott verſchieden zu Eiſenbergk/ Anno 1572. den 7. Auguſti, Allhie zur Erden beſtetigt. Gott verleihe jhm vnd vns allen eine frölíche Aufferſtehung / Amen.

Fribergenſe.

VIII.* FRIDERICI, F. Electoris Auguſti.

DES Durchlauchtigſten Hochgebornen Fürſten vnd Herrn / Herrn Auguſti Hertzogen vnd Churfürſten zu Sachſen neundter Sohn Hertzog Friederich iſt geboren zur Anneburgk den 18. Tag Junij Anno 1575. vnd daſelbſt wiederumb in Gott ſeliglichen entſchlaffen den 24. Januarii Anno 1576. Hat alſo gelebt 31. Wochen/ 2. Tage/ vnd 20. Stunden/ welchen Gott zur ewigen Freud vnd Seligkeit wiederümb erwecken wolle.

Vinarienſe.

IX.* FRIDERICI, F. Frid. Wilh.

DER Durchlauchtige/ Hochgeborne Fürſt vñ Herr/ Herr Friederich Hertzog zu Sachſen/ Hertzog Friederich Wilhelms Hertzogs zu Sachſen anderer Sohn/ ward geboren zu Weinmar den 26. Sept. An. 1586. ſtarb daſelbſten den 19. Jan. An. 1587. vnd iſt folgends den 22. an dieſe Stäte begraben worden.

FINIAMUS,

Votô medicô Ellingerianô anni 1573.

CHRISTE, laboranti decus aſſere Relligioni,
Geſtit enim verbi lumen abire tui.